

nomine utrumque locum construximus, servituri A sunt. De cætero tam prælatos quam et omnes fratres, præsentés videlicet, et futuros, per misericordiam Dei, qui præsens respicit, depono, ut inter vos unanimitas ita perseveret, quatenus, modum conversationis huc usque retentum, tam in psalmodia, quam in observatione silentii, sed et in qualitate victus et vestitus, et insuper in contemptu rerum propriarum, si non melius, saltem sicut huc usque fecistis, sic deinceps custodiat. Si autem, quod absit, ab aliquo eorum fuerit pertinaciter erratum, præcipimus, per sanctæ regulæ auctoritatem, ut utriusque loci priores ad corrigendum errorem sibi mutuo suffragentur. Si quis autem, quod absit, hanc nostram institutionem in aliquo

frægerit, deterrere eum vox divina quæ dicit: *Maledictus qui transfert terminos proximi sui*, id est institutionem præceptorum suorum et conatus ejus penitus frustretur. Dispositio vero nostræ, quæ, ut credo, per charitatem utriusque locis cupit esse consultum, Deo disponente, et beato Petro patrocinate inconvulsa permaneat.

Signum Bernonis abbatis, qui hanc chartam fieri, et firmari rogavit.

Signum Widonis moderni abbatis, qui hoc consensit.

Signum Odonis abbatis.

Signum Geoffredi.

Signum Wandanberti.

Anno quarto, regnante Radulpho regc.

ANNO DOMINI DCCLXIIII,

CAPPIDUS STAVRIENSIS

FRISIUS SACERDOS.

NOTITIA HISTORICA IN CAPPIDUM.

(Apud Fabric., Bibl. med. et inf. Lat.)

Cappidus Stavriensis, Frisius sacerdos, auctor creditur *Vitæ sancti Odulphi presbyteri*, qui circa annum 860 vixit, vulgatæ a Surio 12 Junii. Traditur etiam scripsisse *Vitas sanctorum Lebuini, Olgeri et Plechelmi*. Nam de *Genealogia principum, ducum ac regum Frisiz*, et *Historia Ecclesiastica gentis Frisonicæ*, quas ei tribuit incendioque absumptas dolet Suffridus Petri (*De script. Frisiz*. pag. 57), video viros doctos non minus quam de multis aliis ab eo ex antiquitate ultima Frisiorum jactatis dubitare.

CAPPIDI STAVRIENSIS

FRISII SACERDOTIS

DE VITA SANCTI ODULPHI PRESBYTERI.

(Apud Surium, Acta SS. 12 Junii).

I. Temporibus Ludovici, piissimi imperatoris, vir quidam venerabilis fuit Francorum nobili prosapia ortus. Dicebatur is Bodgis, et ex eo procreatus est Odulphus. Qui, simul atque e sacratissima baptismatis unda renatus est, cælesti quoque rore divinitus est irrigatus. Porro ubi desiit ad materna pendere ubera, litterarum studiis traditus, et sanctis ac Deo devotis hominibus, ut ab illis canonica religione imbueretur, commendatus est. Præstitit autem illi Deus tantum discernendi studium, tantamque ingenii facilitatem, ut illos etiam, qui ipsum ætate antecederant, ipse longo post se intervallo relinqueret, ætatemque suam, licet annis necdum maturam, divinis disciplinis, et dogmatibus egregie ornaret.

Porro cum ætate accrevit ei etiam sapientia et sanctitas, idque adeo, ut iis, qui per id tempus Deo religiose servire conabantur, novus quidem Samuel ortus videretur. Quibus sane adeo gratiosum illum divina gratia effecit, ut unanimiter ab illis omnibus amaretur et ob vitam probabilem summæ venerationi haberetur. Atque ille e diverso par pari referens, sincero animi affectu eos quoque diligebat. Jam vero puer religiosus ac venerabilis, in ipsis ab adolescentia initiis id se meditari et appetere declarabat, quod postmodum re ipsa complevit, non immemor illius dominici sermonis: *Qui amat patrem plusquam me, non est me dignus (Matth. x)*; itemque: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et*